34



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXIX.

M. AUGUSTINO ROUSSEL DE VAUZESME, Doctore Medico, Præside **.

Est ne salivalis succus (1), præcipuum Chyloseos instrumentum?

I.

IN solido & fluido posita est corporis humani œconomia. Solidum diveris filamenta illa albida, plùs minùs tenuia, parva, tensilia ex quibus velùti totidem tubulis ossa, tendines, musculi, vasa sanguinea &c, contexuntur. Fluidum verò sanguinem ex quo cæteri quot quot humores velut ex uno perennique fonte derivantur. Partes solidæ in ipso ovulo reperiuntur. Inertes quidem ex se, nul-

* Proponebat an. 1702. Præside M. THUILLIER, M. FERMELHUIS, Bacc.

** Et Notarum Authore.

(1) Non oris salivam tantum designat illud nomen, sed & rori gastrico & pancreatico humori convenit.

D

liusque participes motûs, nisi communis partibus matris. Propiùs autem à spiritu seminis virilis inchoari exigit. Quàm primum exigua embrionis moles reserata est! quot vires acquirit eundo! crescere enim non desinit ovum explicatum in homuncionem. Tum hic à matre pro alimento carpit chylum. Nihil undè vel paucum est quod excernatur, penus inutile factum; neque enim amnio contentus liquor sudor est urina. Adolescens ibi magis ac magis fœtus, nonum vix mensem attigit, ut egressum moliatur, capite procumbens pudoris claustra petit, reserat. Aura jam potitus liberiore, eodem ferè alimento, sed uberiori vescitur, quia tunc multa dissipat. Ætate provectior, majorem succi nutritii, cœterorumque humorum fraudem hunc pati necesse est, quam resarcire indiget lautiori alimentorum suppellectili.

I I.

UBERRIMA est alimentorum copia. Multa ex vegetabilium, ex animalium familiâ plurima & exquisita depromuntur. Aliœ cum, alia sine artis apparatu edilia: nulla autem nutriendo corpori idonea nisi priùs assumantur ore, præviumque ibi, si solida attritum, collisumque subeant. Ad id enim officii, utraque maxilla dentibus armatur, quarum triplicem, natura, familiam instituit in homine, utpote qui præ cæteris animantibus omnis generis alimentorum varietate gaudet. Alimenta itaque attrita & divisa plus acquirunt superficiei, adeòque energiæ solventis in ventriculo magis patent, ac deglutitio facilior evadit, non proprio pondere (relativa enim, non absoluta est corporum gravitas) non aëris atmosphærici impulsu ventriculi fundum alimenta petunt. Lingua deglutitionem inchoat: perficiunt Pharyngis musculi: alimenta sic in ventriculum detrusa, indigent macerari ulteriùs, digeri, dissolvi. Quæ priùs enim erant variis distincta coloribus, unius tùm, lactisque similis, coloris fiunt; atque ex variis variè congestis, fit chylus unus (1). Hæc rerum longè discrepantium mutatio chylosis nuncupatur; quam in ventriculo penitùs absolutam affirmare licet. Alia enim est chyli confectio, alia ejusdem secretio; illius officina ventriculus, hujus intestina: (2) hanc absolvit bilis una cum succo pancreatico, illam potissimum perficit salivalis succus.

I I I.

CHYLOSIN coctione confici opinio fuit veterum, sed apud eruditos recentiores & melioris notæ phisicos, dudùm exolevit. Neque felicior erit fermentationis conjectura, quam sub specie quâdam verisimilitudinis diù promulgatam litteratorum Medicorum familia credulis & simplicibus reliquit. Alimentorum solutione nodum hunc expedire malunt. Quàm verò à scopo veritatis aberrant! Qui acidi in stomacho stubulantis, ex arteriarum ostiolis usque destui opera solvi alimenta arbitrantur. At positâ, nec concessâ hujus existentiâ, cui autopsia refragatur, acidum esse menstruum universale quis unquam asseruit quale esse deberet, ut omnis generis edulia unâ veluti clave reseraret? Magnum inter

(1) Puls alimentaris in ventriculo elaborata, fluidior jam facta est, grisei coloris, odoris vappidi necdùm absoluto dives chylo; chymus audit; hîc enim inchoata chylosis in duodeno tantum perficitur.

(2) Jejunum præsertìm, pluribus scatens valvulis succum albidum sæpiùs, præ aliis continens, refertiorí vasorum lacteorum agmine conspicuum. Adest *Ileum* deindè *Colum* deniquè paucissima quo inhiant horumce vasorum oscula undè tamen non spernenda jusculentorum enematûm Winslovio probata utilitas.

ipſa acida diſcrimen eſſe nemo neſcit. Acetum faciliùs plumbum; ſpiritus vitrioli ferrum; aqua fortis reliqua metalla, non aurum aggreditur. Alteri comminuique magis ac magis alimenta non illepidè docent quidam eruditi per trituram, (inquiunt) alimentorum ſolutio incipit in ore, integram facit ventriculi commolentis motus reciprocus. At at! urna ſatis capax ventriculus non niſi remiſſo atque inſenſili motu, ſpatio temporis exiguo eduliorum compagem in ſegmenta tundit minutiſſima, quæ vix piſtillum aut malleus repetitis ictibus aſſequatur. Prætereà multiplicis alimentorum coloris in lacteum commutatio uno partium colliſu, ſine menſtruo ſolvente, haud facilè concipi poteſt. His adde Chyloſin non alimentorum moliturâ perfici quam eorum ſolutione aut potiùs extractione; quæ corpori nutriendo, cæteriſque animalis commodis cedere debent. Hoc ſolventis idonei opus eſt, non cæci trituræ commolentis impetus.

IV.

SOLVUNTUR minus alimenta quàm ex ipſis extrahuntur partes quædam in chylum abituræ; cæteræ menſtrui vim eludunt per alvum eliminandæ (1). Menſtruum illud eſt ſalivalis ſuccus, quippè qui cum plurimis (ſi non omnibus) & eſculentis, & potulentis commode jungi poteſt; quin etiam omnibus ferè ac ſingulis liquoribus tum acidis, tum Alkalicis variiſque ſpiritibus hic ſeſe admiſceri patitur. Particulis conſtat aqueis, ſalinis & oleoſis. Aqueæ & oleoſæ viam ſibi facilè parare poſſunt, vires addunt ſalinæ, quæ rigidis veluti totidem aculeis (2) concretorum poros ſubire valent, ſtrictamque eorum compagem, penitùs reſerare: ſic priſtina partium junctura ultrò invertitur, quæ rigida priùs, duraque fit mollis pultiformiſque eduliorum commiſſura. Chylus autem quandiù maſſæ adhuc inexiſtit, Chymus veteribus audit, & tum colorem ut plurimum alimentorum ſervat, aut communem cum illo obtinet, non niſi poſt ſecretionem albi coloris conſpiciendus; neque colorem hunc ab acido urinoſoque ſale repetas, ſed ex gelatinoſis (3) partibus cum aqueis coeuntibus, quæ quoties commiſcetur albicantem colorem concedunt. Sic tinctura Benzoes rubicunda; balſami de Capayna flava, reſina Jalappæ fuſca; ſemina diverſi coloris, cum aquis juncta, lacteum liquorem conſtituunt. In album autem colorem ſalivalis ſuccus, quam ſit mutatu facilis, docent experimenta Chymica. Cum ſpiritu ſalis volatilis miſta ſaliva lactis tenuioris inſtar apparet, & Butyro antimonii ſi jungatur, in totum lacteſcit, cremoriſque lactei cremorem induit (4). Succo Salivali ſubſidiariam

---

(1) Nonne veram cum chymica digeſtione Analogiam hîc commonſtrat Auctor noſter. Suâ opinione tantoperè diſcrepans à coetaneis. vanas fermentationum effervefcentiarum, tritum mechanicorum imagines à deluſa imaginatione nimiùm credulè mutuantibus. Suſpectam vero à veterum quibuſdam hanc comparationem, dilucidè, ut ſui moris eſt, curioſis experimentis comprobatam, vide, in Theſi celeber. Bucquet, *an digeſtio alimentorum vera digeſtio chymica?* Ann. 1769. 1°. & Sqq. 1771, 1772, 1776, iterum prop.

(2) Exulavit jam è foro chymico ſubtilis hæc ſalium *aculeorum* theoria. At experientia compertum eſt ope ſalium aquæ & olei facilius connubium fieri, undè formatur medius, quaſi ſaponaceus humor cunctis ferè cæteris liquoribus permiſcendus.

(3) Elixarum carnium jura licet gelatinoſa prorsùs, non ideò lactei ſunt coloris. Aquæ & oleo mediante ſale invicem unitis, ſatiùs color ille tribuendus eſt, talis enim ſi repentè adfuerit. Aquæ affuſâ tincturâ quâdam advocandum hîc certè in cauſam, oleum aut reſina tenuiſſime diviſum diffuſumque latè per totum aqueum latium, quo, ſalinum principium, ſi defecerit, mox ſecedente, fiet iterum pellucidus liquor.

(1) Quorſùm hîc iſta ex mineralibus vana experimenta? Alia quippè ratio eſt hujuſce albedinis; alia lactei coloris quem ſuâ miſcela cum cæteris digeſtionis corporis humani liquoribus aſſumit ſalivalis humor.

tantum præbent operam cætera Chyloſeos inſtrumenta, duriorum attritione dentes, ſuis ventriculus fibris motricibus; dum enim anguſtatur abreviaturque, alimenta ſubiguntur, dividuntur, attenuantur, atque à ſolvente commodiùs ſuperari poſſunt. Partium etiam ad jacentium calorem ſuum ad Chyloſin operam conferre quis neget? Quippè cum indè major accedat menſtruo vis & energia.

V

SALIVALI ſucco, ut extrahendo ex alimentis chylo abundè ſufficeret à naturâ proviſum eſt, quæ hunc ex tot fontibus, partim in ore, partim extrà os conſtitutis, aut immediatè, aut mediatè per canales in ventriculum deducit; atque ejuſdem generis eſt lympha glandularum Œſophagi & ipſius ventriculi ut potè quæ ex eodem ſanguine, ab ejuſdem generis vaſis & glandulis conglomeratis & in eumdem uſum ſeparari ſolet. Magni ad Chyloſin momenti ejus ubertas modo tamen probè ſit conſtitutus. Minus vegetum reddit chylum factus dilutior, viſcoſior alimentorum poros omnes uſquè non penetrat nequè dividit ſatis; Chyloſi etiam officit ſi ſalſus eſt vel amarus, vel dulcis, vel acidus. Nullius enim ſaporis eſſe debet & inſtar aquæ glutine quodam croſſioris factæ fluere. perpetua ſit hujuſce ſucci, nobis inſciis diù noctùque deglutitio. Cum in vacuo ventriculo uberior colligitur, movet ciborum appetentiam, tùm quod ea non adſint in quæ virtutem ſuam exerat, tum quod ſpicula ſalina, quibus ſcatet, tunc minùs impedita factaque ſui juris, levi corroſione, aut irritatione potiùs ventriculum afficiant. Is autem ventriculi ſenſus fames nuncupatur. Qui autem liquor famem excitat, is & chylificationis primarius opifex cenſeri debet.

Ergò ſalivalis ſuccus, præcipuum Chyloſeos inſtrumentum.

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

M. Guillelmus-Joſephus DE L'EPINE, *Antiquior Scholarum Magiſter, Antiquus Facultatis Decanus, Academiæ Cenſor.*

M. Joannes-Nicolaus MILLIN DE LA COURVEAULT.

M. Chriſtophorus-Nicolaus DE JUSSIEU.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Tuſſanus-Franciſcus-Nicolaus NAVIER.

M. Edmundus-Joachinus BOURDOIS DE LA MOTTE.

M. Michael-Franciſcus DE LA PLANCHE.

M. Cleriadus VACHIER.

M. Petrus-Joſephus MORISOT DESLANDES.

M. Henricus-Michael MISSA, *Regii Medicorum Collegii Nanceiarum Socius honorarius, antiquus Regis Exercitûum in Germaniâ Medicus ordinarius. Cenſor Regius, Academiæ Catalaunenſis Socius.*

Proponebat Pariſiis HENRICUS-HERCULES CHAMPAGNE DUFRESNAY, Catalaunus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1779. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1779.